
ADRIANI

PVLVAEI, LEGVM DOCTORIS, ET IN SVPREMA CVRIA ADVOCATI,

De aduocatorum priuilegiis fori,



ORATIO,

Ad amplißimum ordinem.



LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,

SVB SCVTO VENETO,

M. D. LX.

ILLVSTRISSIMO principi Carolo Lotharingo Cardinali, Adrianus Puluæus S. P. D.



Extus Pomponius iureconsultus refert, illustrißime princeps, Seruiũ Sulpitium à Q. Mutio obiurgatum, quòd ius in quo versaretur ignoraret: sed non minori reprehensione digni videri debent, qui eius professionis, in qua versantur, initia, progressus, ac vtilitatẽ nõ norũt. Quam in reprehẽsionem ne ego incurrerem, aduocationis togatorũ (cui nomen in suprema curia aliquot abhinc annis dedi) originem, progressus, vtilitatẽ, dignitatemq́; in cõmẽtarios, quãta fieri potuit à me diligẽtia, retulisse mihi videor, vnde hæc à me pro eminẽtißimæ ac illustrißimæ curiæ aduocatorũ priuilegijs fori selecta transcriptáque sunt. Quæ cùm multis magna virtute viris, inter eos verò M. Hospitalio, viro, vt tute scis, publici iuris morisq́; ma

iorum peritißimo, καὶ τῆς τῶν νομοφυλακίας, ἄ τις ἄλλος, ἀξιωτάτῳ, se probari placeréque intelligerẽt, te in hoc quidẽ regno cõsilio linguáque principẽ, ex hoc theatro in Flandriam, vbi ab Hispaniarũ rege de pace iusiurandum exigis, consequi nõ dubitarũt, quæ tum tibi de tam honorifica plausibilíque legatione cõgratularentur, tum se in tuam fidẽ & clientelã cõferrent, vt si abs te quoq; eo vultu, quo solẽt ea, quæ à literis nostróque ordine proficiscũtur, se recipi probaríque deprehenderint, tum verè gloriari poßint, se patronis in suprema curia, amplißimũ in regia patrociniũ, firmißimúmq; propugnaculũ inuenisse: foréq; vt ἐκ τῶν ἐκείνων ὑπομνημάτων συντάγματα tuis auspicijs aliquãdo in lucẽ manúsque hominũ exeant. Fœlicißimũ igitur tibi reditũ precãtur, idq; interim summi loco beneficij abs te petũt, vt tui iudicij beneuolẽtiæq; significatione & his in publicũ aliquando prodeũdi, & illis in eo, id est, in suo dignitatis, priuilegiorũ, honorisq; gradu cõsistẽdi liberã certamq; spẽ ostẽdere, suóq; authori de tã honorifica admißione congratulari poßint. Vale. Lutetiæ Parisiorũ, Non. Maij, 1559.



ADRIANI PVLVAEI ll.doctoris, & in ſuprema curia aduocati, de aduocatorum priuilegijs fori, Oratio ad ampliſſimum ordinem.



Mne ius P.C. vel in æqui & boni ratione conſiſtit, vel in vtilitate verſatur. Illud nullo vel loco, vel tempore, nullis vel iudicum ſentẽtiis, vel principum decretis, vel populorum iuſſis mutari violaríque ſine ſummo ſcelere & iniuſtitia poteſt. Eſt enim natura ipſa omnium hominum animis inſitum atque innatum, omniſq; mutabilitatis expers. Hoc quoniam non tam natura ipſa, quàm hominũ

Ratio æqui & boni.

Ratio vtilitatis.

iudicio, prudentia, vſu, & doctrina cõſtituitur, nec intereſt iure naturæ ſic aut ſecus fiat, pro magiſtratuum arbitrio, vtilitate ſuadente, ſine cuiuſquam iniuria moueri variaríque poteſt. Eſt enim menſuris, authore Ariſtotele, quæ non quocunque in loco ſunt æquales, ſimillimum. In hoc autem iure vel conſtituendo, vel mutando, ea virtute, conſilio & ſapiẽtia maiores noſtri fuere, vt nec ſceleratis & facinoroſis hominibus quiduis impunè liceret, nec bene de Rep. meritis denegaretur honos. Exiſtimauerunt enim illi ſapientiſſimi homines ex Solonis ſententia hæc duo cuiuſque Reip. conſeruandæ eſſe debere firmiſſima principia, & tanquam arctiſſima vincula præmium & pœnã: quæ duo ſine magno publici ſtatus detrimento & perturbatione negligi non poſſent. Itaq; cùm conſtans eorum

Ius menſuris ſimillimum.

Duo Reipub. conſeruandæ principia.

rum

rum & perpetua esset voluntas suum cuique tribuendi, & vt rectè quidem factis præmia, peccatis verò supplicia extarent, id tum deinde religiosè curarũt, vt dea illa virgo, quam Themim, vel Dicen vocãt, augusto quodam in loco collocaretur ac iudiciis præesset: augustiore verò non potuit quàm in hoc admirabili & sacrosancto Parisiensi theatro, quod non hominum, sed heroum conuentum esse Lineas ille Pyrrhi Epirotarum regis orator, meritò diceret: in quo tot Vlpiani, tot Scæuolæ, tot Papiniani, tãta cum iuris & iustitiæ æquabilitate pari cum maiestate coniuncta præsunt, vt (quod aliquando cõsecutum M. Brutum tradunt) in plurimorum controuersiis diiudicandis ab omnibus diligantur, & eos ipsos quos contra statuunt æquos placatósque dimittant. Cuius integritatis, vsus, &

Dice dea iudiciis præest.

Lineas Pyrrhi orator.

doctrinę ergò non hic tantummodò consessus vester, iudices, multis magnísque honoribus ac priuilegiis (tametsi ea quanlibet magna vestris in Remp. meritis vix vnquam respondere possint) cumulatur & ornatur, sed etiam ciuitas ipsa iis aucta & decorata,

--Tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Verùm enimuerò nescio quo fato, speciosi quidam homines nuper inuenti sunt (quos quæso oróque, vt si quid fortè erit acerbum auditu, sine offensione accipiant quod dixero, néve id, priusquam quale sit explicauero, in deteriorem partem vertant: non enim exprobrandi aut lædendi causa, sed commonendi gratia, próque mea perpetua cupiditate vestræ dignitatis tuendæ retinendæq; dicã) qui publicæ vtilitatis simulatione, dissimu

ſimulato odio, iracũdia, ambitione, vel inſatiabili auaritia quadrata rotundis mutare (vt aiunt) déque tanti Senatus authoritate & dignitate detrahere ex vſu ſuo eſſe arbitrantur. Quod cùm palam & aperto Marte ſe perficere poſſe diffiderét, occultè cuniculis rem aggreſſi ſunt, paruum illum & imbecillum Sertorij militem imitati, qui cùm equinæ caudæ ſetas omnes vno impetu vellere nõ poſſet, paulatim vellendo eam exigui temporis ſpatio nudauit. Iis artibus & dolis aſtuti illi homines (vt maiores ſcilicet quæſtus facerent, tum ex tribunalibus, quibus præeſſe dicuntur, tũ ex actis publicis, quæ magno vel cõduxiſſe, vel comparaſſe vulgò feruntur) rem ante hoc tempus multùm agitatam, diu tractatam, & cui Senatus ipſe frequens reſtitit, hodierno die in diſquiſitionem reuocarunt, &

Imbecilli Sertorij militis factũ.

ita per obreptionem apud priuatum concilium egerunt, ne amplius huius summæ curiæ causarum patroni fori priuilegiis fruerentur, sed coram ordinariis, & pedaneis iudicibus lites, si quas ipsi cum aliquibus haberent, persequerentur: eámque in rem edictum, de quo nunc à vobis vel comprobando vel improbando agitur, contra exempla atque instituta maiorum componendum describendúque, & ad vos, vt sententiis vestris cõfirmaretur, mittendum curarunt (si id edictum nominandum est, ac non versuta & fallax nocendi ratio, quod insidiosè confictum est, & à cupiditate & inimicitiis profectũ) quo quidem edicto non nostra solummodò cõmoda minui & impediri, sed etiã dignitatem vestram publicámq; vtilitatem magnopere lædi, si per vestrã benignitatem & attentionem licuerit,

Edictũ de fori priuilegijs summæ curiæ causarum patronorum.

rit,me facilè demonſtraturũ eſſe confido. Etenim ſi vt ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectat, quoniam ea eius cauſa eſt inſtituta,ſic à legibus nihil conuenit arbitrari,niſi quod Reip.conducat: quoniam eius cauſa ſunt comparatæ,& ad eius ſalutem vtilitatémque referendæ: nos autem & priuatim & publicè profumus,profectò non poteſt hoc idem edictum & Reip.vtile eſſe,& commoda noſtra oppugnare. Et ſi vllo tempore res magna & ab omnibus vobis diligenter prouidenda ad Senatum delata eſt,hoc edictum certè eiuſmodi eſt,vt iudiciorum dignitas & conſeruatio,Senatus authoritas,libertas, amplitudo veſtræ ſapientię,fidei,poteſtatíque commiſſa creditáque eſſe videantur. Nam vt non poſſunt vna in ciuitate multi rem atque fortunas amit

Comprobatio à ſimili.

A rei grauitate.

amittere, quin ſecum plures in eandem calamitatem trahant, ita multis ex hoc foro priuilegia & ornamenta adimi non poſſunt, quin veſtra quoque dignitas imminuatur & labefactetur. Quis nanque putabit curię authoritatem, iudiciorum grauitatem, ſplendorem, amplitudinémq; Senatus remanere poſſe, niſi eos, qui ei ſunt ornamento, cõſeruaueritis? niſi eorũ priuilegia confirmaueritis, quibus vos, ob hanc officij muneríſque publicam ſocietatem ac coniũctioné (qua nulla neque iuſtior, neque grauior cauſa neceſſitudinis poteſt reperiri) parentum loco eſſe oportet? niſi denique eorum dignitatem retinueritis, quos primos ac præcipuos iuſtitiæ miniſtros vos ipſi honorificentiſſimè publico in concilio nuncupare ſoletis? Vos enim, iudices, putare debetis eſſe quiddam nobis omnibus,

qui

qui in hoc theatro verſamur, inter nos commune atque coniunctum, ipſiúsque aduocationis togatorũ ornamentum ad omnium aliquem fructum & exiſtimationem redundare, neque ipſis aduocatis ſeparatim, inuitamentúmque ad tempus hoc à maioribus conceſſum priuilegium, ſed propter magna merita totius curiæ perpetuæ virtutis eſſe præmium. Adeſtote igitur, quæſo, animis, iudices, & me non ſolummodò de aduocatorum commodis & rationibus, ſed etiam de ordinis veſtri authoritate, dignitate, amplitudine, déque totius Francici regni vtilitate verba faciẽtem attendite, hácq; in cauſa oſtendite Remp. noſtram habere multos Luſcinos, Calatinos, Acidinos, Catones, Philippos, Lælios, id eſt, homines quorum ſapientia temperantiáq; in publicis priuatíſque, forenſibus, domeſti

Captatio beneuolentiæ.

mesticísque rebus ita perspecta sit, vt ad certorum hominum importunã auaritiam iura non cõstituantur, sed eorum cupiditates excludantur sapiẽtia vestra, eásque demum leges comprobetis, quæ sint accommodatæ atque vtiles Reip. aptæ commodis vestris: ac videte, ne vt maioribus vestris pulcherrimum fuit tantam vobis fori gloriam relinquere, sic vobis turpissimum sit, illud quod accepistis ab huius inimici edicti iniuria vindicare nolle, cùm non multùm interesse videatur, præsertim in hoc Senatu, vtrùm ipse perniciosis legibus Rep. vexet, an alios vexare patiatur, nec possit vlla esse excusatio, non dicam malè sentienti, sed conniuenti & dormiẽti Senatui. Aduocationis munus, Patres grauissimi, tam honorificum priscis seculis fuisse constat, vt non solùm posteaquàm imperio omniũ gentium

Qui patitur, consentire videtur.

A muneris honore & autoritate.

gentium constituto diuturnitas pacis otium Romæ confirmauit, nemo ferè laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putauerit, sed etiam summa in dignitate cõstituti viri causarum agendarum curam & studium minimè contempserint. Memoriæ proditum est Germanicum Caligulæ patrem virum quauis laude dignũ etiã triumphalem causis orandis operam nauasse. Ferũt quoque Vespasianum post tribunatum militum, quem magna fama gesserat, operam foro dedisse. Hinc etiam Theodosij, Valentiniani, & Iustiniani cõstitutionibus posteà comprehẽsum est, vt siue prætorianę, siue Illyricianæ, siue vrbicanæ, præfecturæ, siue prouinciarũ aduocati post peractam integrè ac sine vlla opinionis labe prouinciæ administrationem, & post consiliarij depo sitam

Germanicus causis orandis operam dedit.

Et Vespasianus.

Constitutiones de aduocatis.

„ ſitam ſolicitudinem,& ad illud offi-
„ cium munúsve aduocationis, vnde
„ abſtracti ſunt,& vnde ſibi vitæ ſub-
„ ſidia cõparabant,remeandi habeant
„ facultatem, nec cauſas orare denuo
„ quadam prohibeantur inuidia. Sed
nec fiſci aduocatis poſt depoſitum
biennio completo officium licentia
facultáſque denegatur tam pro ſe
quàm pro filiis,parentibus,vxoribus,
aliíſque coniunctis perſonis poſtu-
landi,quamuis à priuatæ conditionis
hominum multitudine ſegregentur
& clariſſimis connumerentur. Tan-
tum enim abeſt,vt poſtulãdi munus
officiat nobilitatis ſplendori,vt etiã
nobilitet:eos præſertim qui in ſupre-
mo ampliſſimóque ordine illud exer
cent. Adeò laudabile eſt,vel impera-
tore Anaſtaſio aſſertore,vitæq; homi
num neceſſarium aduocationis offi-
cium. Ideóque vt maximè principa-
libus

Aduocatus fiſci clariſſimis annumeratur.

Aduocationis munus quos nobilitet.

libus præmiis remuneraretur, & ne aliis negotiis impliciti & illigati aduocati, ab vtili & Reip. necessario eo munere distraherentur, ante Anastasiũ Theodosius & Valentinianus imperatores sanciuerunt, vt aduocatis à nullo iudice, nec ab ipsa eminentissima præfectura, solicitudo vlla penitus iniungatur, sed vt neque aduocatis prouinciarum vel spectabilium iudicum quisquam existimet aliquid iniungendũ. Nulla igitur togatis inspectio, nulla peræquatio ingeratur, nulla operis cõstructio, nulla discussio, nullum ratiocinium imponatur, nullum denique aliud eis mandetur præter arbitrium in eodem dũtaxat loco vbi aduocationis exercetur officium. Cui constitutioni consentaneè hoc vnum inter cætera aduocatis maiores nostri priuilegium cõcesserunt, ne extra hanc Basilicam litigare co-

Aduocatus non est auocandus à suo iudice.

gerentur, ſed apud requeſtarum Palatij iudices (qui & ipſi in ipſius curiæ collegium conſortiúmque, quò maior eorum eſſet authoritas, aſſumpti allectíque ſunt) vel ipſi experirentur, ſi quas ſibi competere actiones putarent, vel laceſsiti, eò reuocandi ius haberent. Id quod ſtudiorum reuerentia, vtilitatíſque ratione ſuadente, & ad militum exemplum indultum eſſe, nemo eſt omniũ meo iudicio quin facilè intelligat. Nam ſi Honorij & Theodoſij, Iuſtiniani, aliorũque imperatorum conſtitutionibus militares viri ſuos militares magiſtratus habent, apud quos litigant, & ſi

Militares magiſtratus.

Legibus antiquis caſtrorũ, & more Camilli
Seruato miles nec vallum litigat extra,
Et procul à ſignis.--

Et ſi iuſtiſsima Centurionum cognitio eſt de milite, quis feret aduocatos, qui hanc vrbanam militiam reſpon

ſpondendi,ſcribendi,canendíque ſe-
quuntur,litium ſuarum perſequenda
rum gratia ab aduocationis munere
auocari ac diſtrahi? Aduocati enim, "
inquiunt Leo & Anthemius impera- *Neceſſariũ aduocationis officiũ.*
tores, qui dirimunt ambigua facta
cauſarũ, ſuæque defenſionis viribus "
ſæpe publicis in rebus ac priuatis la- "
pſa erigunt,fatigata reparãt,non mi "
nus prouidẽt humano generi, quàm "
ſi præliis ac vulneribus patriam pa- "
rentéſque ſeruarent. Nec enim ſolos "
noſtro imperio militare credimus il- "
los qui gladiis,clypeis, & thoracibus "
nituntur,ſed etiam aduocatos. Mili- "
tant nanque cauſarum patroni, qui "
glorioſæ vocis confiſi munimine la- "
borantium ſpem, vitam ac poſteros "
defendunt. Vt nõ immeritò alia Ho- "
norij & Theodoſij conſtitutione ad-
uocatis per Orientem eminẽtiſſimæ
Præfecturæ reuerentia ſtudiorum ſit

conceſſum, vt quicquid ex huiuſmodi profeſſione, vel ipſius occaſione quæſierint, id poſt patris obitum, præcipuum, veluti peculium caſtrẽſe, ad exemplum militum proprio dominio valeant vindicare. Idem quoque poſteà indultum eſt patronis cauſarũ illuſtris vrbicariæ & Illyricianæ præfecturæ. Enimuerò cùm vtriuſq; temporis, pacis videlicet & belli gubernandi æquè neceſſaria ſemper ſit habita ratio, vt domi cõcordia, foris virtute & fortitudine Reip. ſtatus retineatur & conſeruetur: hoc autem militum armis, illud verò prudentũ conſilio præſtetur, rationi cõſentaneum fuit, vt paribus priuilegiis, honoribus, nobilitatíſque ſplendore decorarentur vtrique, nec hi extra forum ſuum & tribunal lites ſuas perſequi neceſſe haberent, ſed vt iuſtiſſima eſt Centurionum cognitio de milite, ſic vos

Peculium quaſi caſtrẽſe aduocatorũ.

Et patronorũ cauſarum.

Vtriuſque tẽporis ſemper habenda eſt ratio.

A ſimili confirmatio.

vos ipſi de aduocatorum controuerſiis cognoſceretis & ſtatueretis. Qua de cauſa prudenter maiores, cùm cæteris præmiis dignos iudicaſſent eos, qui ſuo labore & periculo noſtram Remp. defendunt, & pro ea pericula ac tela ſubeũt, eóſque laudis & gloriæ ſtudio ad ea ſuſcipienda incendẽdos inflammandóſque credidiſſent: ſic eos, qui ea quæ in hoc Senatu tractantur iudicia non ſine magna animi contentione & labore inſtruunt, inter cætera virtutis præmia digniſſimos qui hoc priuilegij beneficio afficerentur, cenſuerunt, ſpéque ampliſſimorum præmiorum ad hanc immẽſam fori exercitationem eliciendos inuitandóſque exiſtimarunt: veriti vtique, ne cùm non niſi hi qui quotidie diúque exercentur, huius authoritatem loci contingere audẽt, quòd nihil huc niſi perfectum ingenio, ela

boratum industria afferri oporteat, hic locus, nullis propositis, nedum interdictis aut sublatis præmiis, vacuus tandem ab illis & desertus relinqueretur. Quo nihil sanè melius ac sapiẽtius ab illis cogitari prouiderique potuit. Nam quamuis illud rectè quidẽ à summis dicatur Philosophis, fortes & sapientes viros nõ tam præmia sequi solere, quàm ipsa rectè facta, satísque in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus esse debere, tamen sic vita hominum est, vt quemadmodũ ad maleficium nemo conatur nisi spe atque emolumento accedere, ita pauci post genus hominum natum reperti sunt, qui hanc Philosophiam degustare vellent, vt nulla præmiorũ spe ostensa Reip. vtilitatibus & commodis inseruirent, quíque laboribus susceptis periculísque aditis nullam rerum gestarum mercedem, aut certè

Fortes & sapiẽtes rectè facta sequuntur.

gra

gratiam desiderarent. Equidem multi & nostra & patrum maiorúmque memoria summi in hoc tribunali aduocati extitere, & si meminisse libet, complures è vobis in eorum numero, indéq; curiæ adscripti, qui nũquam ad Remp. adducti essent, nec in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris ascẽdissent, sed obscuri & ignoti apud suos delituissẽt, eorúmque præsidio caruisset Resp. nisi quædam laboribus suis proposita præmia existimassent. Etenim honos alit artes, omnésque incendimur ad studia gloria, iacéntque ea semper quæ apud quosque improbantur: &, vt ille inquit, *Honos alit artes.*

--Gratis pœnitet esse probum.

Neque verò togatos tantùm seu aduocatos multis magnísque honoribus, priuilegiis, & salariis cumulãdos & ornãdos censuerunt, sed etiam eos

qui Reip. vtiles & necessarias profiterentur artes, sine quibus vix fieri posse animaduerterunt, vt quis pro dignitate in eo munere se gerat. Nam vt ea omittam quæ Iulius Cæsar, Augustus, Vespasianus, Antoninus Pius in liberalium artium professores & medicos beneficia, salaria, immunitatésque contulisse memorantur, titulo de professoribus & medicis, libro decimo Codicis Iustinianei, & titulo de professoribus qui in vrbe Constantinopolitana docẽtes, ex lege meruerunt comitiuam, libro duodecimo eiusdem Codicis, magnas prærogatiuas & immunitates in eos professores & medicos ab imperatoribus Romanis collatas fuisse legimus. Qui tamẽ omnes à nostris omni munificentiæ humanitatísque genere, quo literatos & doctos homines hactenus prosecuti sunt, victi superatíq; sunt. Non enim

Immunitates professoribus concessæ.

enim eos solummodò qui profitētur & in scholis vel Grammaticam, vel Rhetoricam docent, priuilegiis ornarunt, iísque suos certos & delegatos iudices apud quos litigarent dederunt, sed etiam ipsos magistellos abecedarios (quorum illi tamē viliorem operam iudicarunt, quàm vt vlla immunitatis prærogatiua decorarent) eodem loco & numero habuerunt: quinimò iis omnibus qui vel sex tantummodò menses continuos bonis literis operam nauauerint, eadem priuilegia beneficiáque cōtulerunt. Sed nec vllum certum numerum præstituerunt qui iis fruerentur. Adeò cunctos ciues suos omni scientiarum & disciplinarum genere excultos reddere studuerunt, & quibuscunq; potuerunt modis ad earum capessendarum studium inuitarunt. Quorum equidem conatus & spes haudqua-

Magistelli abecedarij certos habent iudices.

Nulla tamen immunitatis prærogatiua gaudent.

quam eos fefellit. Nā cum in omnibus huiusce regni vrbibus, pagis & villis, tum maximè in hac ciuitate (quæ illis omnium doctrinarum inuentricibus Athenis eruditione longè proculdubio antecellit) tanta copia est omnium ordinum eruditorũ hominum, aduocatorũ potissimùm, vt ludum literarium verius, quàm vrbis formam vllam esse credas. Ad cuius amplissimum hunc Senatum (in quo iura populi Gallici, monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnísque doctrina literis mandatur) ex reliquis ciuitatibus, academiis & prouinciis totius Francicæ iuuentutis, tanquam ad oracula, perpetuum quotidianúmque cõcursum fieri nemo non videt, vt ad eam doctrinam, quam suo quisque studio consecutus est, in hac magnitudine & varietate multitudinéque in omni genere cau

-sarum adiungat vsum frequentem, qui omnium magistrorum præcepta superat. Ex quo etiam prouinciarum iudices, velut ex equo Troiano, seu seminario aut ludo aliquo, innumeri nullo non die exeunt, indéque totius regni iure & æquitate moderandi ratio peti solet: ita vt nullus locus sit in hoc regno, in quo non extent huius Senatus cùm eruditionis & doctrinę, tum verò vsus, tum consilij & sapientiæ impressa vestigia, nec vllis satis amplis honoribus & præmiis cumulari ornaríque posse videantur, nedũ iam datis excludi aut priuari debeãt ij, ex quorum potissimùm ordine splẽdor atque ornamentum curiæ constituitur, & qui in ea scientia elaborãt, quæ omnibus sit profutura, vndéque tot tantáque regni commoda petuntur. Legimus Solonem Salaminium sapientissimum latorem legum præmia

Præmia decreta à Solone Salaminio.

mia decreta iis, qui in Olympiis aut Nemeęis viciſſent contraxiſſe, eáque maiora decreuiſſe iis, qui in bello pro patria fortiter occubuiſſent, quòd illi magnis impendiis & ſumptibus exercerentur, ſenésq; facti nec bello vtiles nec gerendæ Reip. eſſent accommodi, hi verò ſaluam eam feciſſent. Id quod ſi rectè prudentérque ab eo factum eſſe iudicandum eſt, vt certè de tanti viri iudicio & prudentia dubitare mihi religio eſt, quis hoc ei cõuenientiſſimum inficias ierit, vt non modò iiſdem honoribus & priuilegiis, quibus liberalium artium profeſſores & medicos, propter eam, quam Reip. & ſtudiis nauant operam, frui lætandum eſt, ſed etiam longè maioribus gaudeant ij qui omni cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aſſiduitate, labore, amicorũ controuerſias cauſásque tuentur, laborátibus

Comparatio aliarũ ſcientiarũ cum aduocationis munere.

tibus ſuccurrunt, ęgris medentur, afflictos excitant, homines in ciuitate retinent? Quo quid liberalius, munificentius, ipſiq; Reip. vtilius euenire poteſt? Quæ officia ac merita quis ab illis doctrinarum ſtudioſis vmbratilem illam vitam, quietā, atque otioſam ſequentibus requiret? Quā enim ſupplicibus opem ferre, quem afflictum excitare, quam ſalutem dare, quem liberari periculis poterunt? Omitto quòd non in vniuerſo genere ſcientiarum ſinguli, ſed aliqua in re vna ſeparatim verſentur. Alij enim Mathematicis artibus penitus dediti ſunt, alij Muſices ſtudio tantummodò incumbunt, alij totos ſe ad Grammaticos, alij ad Poëtas contulerunt, alij naturæ vim, alij aſtrorum cognitionē ſingulari ſtudio & labore perſequuntur, omnéque tempus atque ætates ſuas in iis artibus & diſcipli-

nis consumunt. At maius est profectò hoc quiddam aduocationis munus pro dignitate præstare, cùm ex omnibus iis artibus & studiis sit collectum, nec, mea quidem sententia, possit esse quisquam omni laude cumulatus causarum patronus, nisi omnium rerum magnarum atque artium rationem naturámque comprehenderit, & earum scientiam erit cõsecutus, vt ex earum cognitione efflorescat & redundet oratio. Quocirca præclarè maiores, ob eorum studiorũ reuerentiam, & vt eum verum, iustũ, infinitum, officiosum, atque honestũ rerum forensium laborem honoribus, priuilegiis, atque splendore decorarent, amplissima ei studio proposita esse præmia voluerant, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Quibus tamen ornamentis omnibus & commodis hodie spoliamur. Etenim

Aduocationis munus ex omnibus artibus collectum.

enim quam non inuidiæ falsæ atque iniquæ molem, tempestatémq; subeunt ac sustinent ij, qui in hoc immenso, infinitóque labore, summo etiam nonnunquam vitæ cum discrimine, versantur? quid non eis summam per iniuriam inimicum atque infestum? Sic est mehercule hic ordo quasi propositus atque editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circũflari posse videatur. Estq; huius seculi labes quædam & macula virtuti inuidere, velle ipsum florem dignitatum infringere. Quæ verò non insidiæ in eos ab iis struũtur, qui Sulpitij Antisenatum in Rep. nostra (hac enim oratione me vti Resp. & dolor meus, & istorum iniuria cogit) renouari fortasse cuperent, vt scilicet in hoc regno nihil valeret Senatus, omnis esset impunitas, nulla iudicia, nulli possessionum termini, nulla lex, nul

Virtuti inuidere huius seculi labes.

Sulpitij Antisenatus.

nullum ius ciuile, vis & ferrum in foro versarentur, priuati se parietum præsidio, non legum tuerentur, ad magistratuum domos cum ferro & facibus iretur, Dei Opt. Max. tẽpla incenderentur? Quòd si tantulùm oculos deiecerimus, præstò esse insidias, si vllum locum aperuerimus, non dico crimini, sed suspicioni, accipiendum esse statim vulnus, esse nobis vigilandum, semper laborãdum videmus, quasi cum omnibus improbis æternum nobis bellum sit susceptũ, qui quasi natura & genere disiuncti sint, ita dissident à nobis animo ac voluntate, quíque vos etiam non solùm iccirco oderũt, quòd eorum conatus impios & facta cõscelerata reprimitis, sed etiam eò magis, quòd nihil iam se simile florente Senatu conari posse arbitrantur. Ad quã peruersitatem, inuidiam, contumeliam,

obtrectatorúmque calumnias illud quoque incommodum & iniquitas accessit, quòd ad quam messem auream, vt Stratocles & Dromoclides ad suum tribunal, sese inuitare poterant causarum patroni, eam nūc vix argenteā aut plumbeam reperiant, ita vt

Meßis aurea versa in argēteam, vel plūbeā.

Nec me verbosas leges ediscere, nec me
Ingrato voces prostituisse foro,

quicquam in posterum profuturum esse videatur, quoniā vt est Satyricū,

--Hinc centum patrimonia causidicorum.

Non tantum valebunt, quantum

Parte alia solum reus Hisapone lacertæ.

Itaque è glossis nostris expungendos eos vulgatos versus,

Dat Galenus opes, dat sanctio Iustiniana:
Ex illis paleas, ex istis collige grana.

Non enim amplius grana, sed ne vix quidem paleæ ex hac messe colligentur. Quamobrem nec illud nobis spe

randum est, vt qui anteà semper optimo cuique, præsertim in literis & foro exercitato, patuit aditus ad honores, is aduocatis hac tẽpestate detur, cùm propter cõmunium temporum iniuriam, non gradu aut eruditionis commendatione, sed fauore, hæreditate, pecunia ad eos perueniri vulgò persuasum sit, nec ita multos L. Philippos, Cottas, Curiones, Q. Pompeios, aut Cicerones repetiri, qui verè gloriari possint, se sine vllo munere, vel sine vlla maiorum commẽdatione, adeptos esse omnia quæ habentur amplissima. O frustra ergo in studiis colendis susceptos labores! ô spes fallaces, ô cogitationes inanes! Quid enim tam sanctum, syncerum, aut religiosum esse potest, quod hi graues communium temporum casus (hortantur enim me vultus vestri P. C. vt quod audio, quódque res ipsa tacitè clam

Ad honores virtute perueniendum.

clamare videtur, liberè dicam) væna-
le quodammodò aut proſcriptū non
feciſſe dicuntur? quem rerū delectum
atque diſcrimen non turbaſſe aut ſu
ſtuliſſe? quid quod erat ætatis & ordi
nis, non permiſcuiſſe? Ex quo euenit
vt plerique ad honores adipiſcendos
& ad Remp. gerendam nudi veniant *Nudi ad Rempub. gerendam nō admini-stendi.*
atque inermes, nullo imbuti vſu, nul-
la ſcientia ornati. Quod ſi ita eſt, vi-
dete, iudices, ne ſit contumelioſum
& inhumanum, quid ad eas ruinas,
quibus opprimimur, acerbitatis ad-
dere, ne ſit periniquum & non feren-
dum, vt iis quibus omnes etiam volu
ptates omittendæ, relinquēda ſtudia
delectationis, ludus, iocus, cōuiuium,
ſermo etiam omnium penè familia-
rium deſerendus, quibus multùm de
nocte vigilandum, laborandum, mul
torum ineptiæ ac ſtultitiæ deuorādæ
ac perpetiendæ, arrogantia perferen-

da, difficultas exorbenda, ad aliorum arbitrium non ad ſuum viuendum, vt in hoc forenſi labore & aſſidua exercitatione verſentur, id priuilegium quod eis ſolũmodò ex omnibus com modis & ornamentis, velut ſimulacrum priſtinæ vtilitatis relictum eſt, adimatur, iíſque præmiis & honoribus excludantur, quæ ſi commendatione & iudicio vetuſtatis cõprobata non eſſent, nunc voluntate ſententiíſque veſtris eſſent concedenda & comprobanda (ídque maximè cum non pecuniarium præmium, non agrorum aſſignationem, non vectiga lium obuentionem, non denique pre tium pro rectè factis, ſed honorẽ ita vt factitatum eſt, pro beneficio foren ſíque induſtria poſtulent) tum ne abſ traherentur, vt antè dixi, ab hac exercitatione & conſuetudine dicendi populari & forenſi, tum vt ſupereſſet aliquod

Honor pro forenſi induſtria nõ denegandus.

aliquod in Rep. noſtra rectè factis propoſitum præmium: ſi modò hoc virtutis præmium exiſtimandum eſt, quod patet volenti ferè cuilibet ambitiosè quàm contendenti & præhenſanti, quod patet quibuslibet fere aulicorum ſeruis, quod etiā mirum eſt, ni patere debuiſſe dicant, non tātùm Quæſtoribus & Tribunis ærárij, ſed etiam omnibus aliis qui in aliqua vili numorum & æris tractatione verſantur: qui tamen quod commodum & ornamentum à Rep. optare aut ſperare debent, niſi vt qui ex iis ſupra modum patrimonij nimiùm aucti locupletatíque ſunt, tanquam prædones, ærarij depeculatores, & in manifeſto furto deprehēſi turpiter & ignominiosè in loco & ſepulchro maiorum ad Monfauconem vitam finire cogantur? Quæ enim furandi genera in tantis his anguſtiis ærarij & im-

Depeculatores ærarij quo ſupplicio puniēdi.

peditis temporibus ab illis excogitata vulgò non creduntur? quæ non occultis furtis auersa pecunia publica? Quibus de tam impudentibus latrociniis nemo aut satis commodè dicere, aut satis grauiter conqueri, aut satis liberè vociferari potest. Admonet me hæc res, ne id hoc quoque loco silentio prętercam, non iis tantùm ciuibus qui se suarum rerum finibus continent, & qui cum quadam elegantia atq; integritate viuunt, id priuilegij datum esse, ne alibi quàm apud ordinarium suum iudicem siue in rem, siue in personam agatur, conueniri possint, sed etiam cetariis, laniis, cocis, fartoribus, piscatoribus, vnguentariis, saltatoribus, baiulis, omnibus denique mercenariis opificibus & mercatoribus, qui in sordida arte versantur, quíque nihil proficiũt nisi admodum mentiantur. Addendum

Mercenarij opifices apud ordinariũ suũ iudicem cõueniendi.

dum etiam eidem eſſet, multos alios inferiorum viliorúmque ordinum viros ob nullam virtutem tali honore dignatos eſſe, vt de ſua gloria, cũ pari præmio tales homines affici videant, delibati, meritiſſimo queri poſsint aduocati. Sed multa ſunt conſultò prætereunda, ne quis imperitior orationem noſtram in peiorem partem vertat ac mutet, nósque exiſtimet nõ tam innocentia quàm criminationibus, & per aliorum incommodum & calamitatem cauſam noſtram tueri probaréque velle. Reliquum iam igitur eſt, P. ampliſsimi, vt his qui huic noſtro priuilegio cauſęq; obtrectant, minimo cum faſtidio ſatisfaciamus. Quamobrem dum his breuiter dilucidéque reſpondeo, quæſo, vt adhuc, iudices facere inſtituiſtis, méque audiuiſtis, item quæ reliqua ſunt benignè attentéque audiatis, profectò ni-

Reſponſio ad aduerſariorũ argumenta.

Repetitio beneuolentiæ.

hil à me dicetur, quod non dignum hoc conuentu & ſilentio, dignum ve ſtris ſtudiis atque auribus eſſe videatur. Neque me impediet, iudices, inimicum edictum, temporis iniquitas atque inuidia communis, quominus fretus vobis conſtanti, perpetua, forti, inuictáque defenſione vtar. Certũ enim deliberatúmque mihi eſt, quæ ad cauſam pertinere arbitror, nõ modò dicere, verumetiam libenter, audacter, liberéque dicere, quòd malè aliquem locutum non putem, ſi verè ac liberè locutus fuerit. Itaque quæ mihi ipſi indigna & intolerabilia videntur, quæq; ad omnes, niſi prouidemus, arbitror pertinere, ea pro aduocatione togatorum ex animi mei ſenſu ac dolore pronuntiabo: ídque eò lubentius & diligentius à me fiet, quòd intelligam (renouabo enim id quod

Occurrit obiectioni.

Qui verè ac liberè loquitur, malè non loquitur.

quod initio dixi) hanc totam ferè legem ad vestram dignitatem minuēdam tāquam machinam comparari, ídque vnum agi, id cogitari, in eo elaborari, insidiásque fieri vestræ authoritati simulatione publicæ vtilitatis. Quibus insidiis tantò magis à vobis est occurrendum, quantò hæ sunt occultiores, quæ latent in simulatione officij. Nam eum qui palam est aduersarius, facilè vitando cauere possis, hoc verò intestinum atque domesticum malum non modò non existit, verumetiam opprimit antequam perspicere atque explorare potueris, non secus ac prius nocere quàm sciri curaríque potest quod intra cutem subest vulnus. Eorum igitur cōmentum, quo apud priuatum concilium vsi sunt, vt mutum forum, elinguem, tacitam & fractam curiam, suo denique spoliatam ornamento redderēt,

Quanto insidiæ sunt occultiores, tanto magis occurrendum.

cognoſcite. Graue & iniquũ eſſe clamitant, quenquam huius priuilegij ratione è longinquis regni prouinciis controuerſiarum diſceptandarũ cauſa Lutetiam Pariſiorum euocari, iuriſdictione ordinaria ſubſtrahi, litium ſumptibus vexari. ô præclaras, & regia liberalitate ac munificentia rationes dignas! Quis hoc eis non cõcedet, neminem litium ſumptibus vexandum? Ecquod ergo non ampliſſimum à Rege præmium optare debent, qui ſe rationem, ſi diis placet, inueniſſe arbitrantur, qua prouinciales homines moleſtiis, expenſis, vexationibus liberentur? quaſi verò tantæ ſtultitiæ condemnandi ſint maiores noſtri, ſapientes alioqui illi, ac multùm in poſterum proſpiciẽtes, vt vos iudicetis huius rei incommoditates omnes in mentem eis non veniſſe. Sed non intelligunt politici iſti homines,

mines,quos ſuprà deformaui,ſi eorũ rationibus vtendum erit,non modò ſupremas curias, ſed nec prouinciales magiſtratus,ac ne vix quidẽ ipſoſmet huius edicti architectos & machinatores ſuo in loco forta ſſe conſiſtere poſſe. Singulis enim in oppidis, pagis, villis, atque adeò familiis ius conſtituendum reddendúmque eſſe fateantur neceſſe eſt, tùm ne homines itineribus ſumptibúſque vexẽtur, tum ne agrorum cultura deſeratur. Nam cui miſerum atque indignum non videbitur ex agro homines traduci in forum,ab aratro ad ſubſellia, ab vſu rerum ruſticarum ad inſolitã litem atque iudicium? Nulla iam igitur prouocatio ad Senatum,nullum reſcriptum à Principe requirendum erit,ſed in ampliſſimo Gentiliaci tribunali ius grauiſſimè & ſeueriſſimè, ſine vlla prouocationis ad ſuperiorẽ iudi

Abſurda neceſſariò aduerſariorum partẽ ſequentia.

iudicem ſuſpicione, à villicis ipſis & aratoribus dicetur. Et ſi longius progredi fas eſt, non in maioribus vrbibus tantummodò epiſcoporum & archiepiſcoporum ſedes & authoritas conſtituenda erit, & collocanda, ſed ſingula oppida, pagi, vici, ac familiæ ſuos ſibi eligent & conſtituent antiſtites, epiſcopos, & archiepiſcopos. Magnum verò concilium, quod nullo certo loco circunſcriptum, ſed incertis ſedibus huc atque illuc vagatur, quo vtilitatis colore ſeipſum ſuſtentare ſuámque authoritatem tueri poterit? In quo maiorem litigantium vexationem quàm vlla in alia iuriſdictione, propter tum itinerum longinquitatem, tum loci incertitudinem quis non confeſtim conquereturꝫne quid dicã de ſportulis, quas plerique etiam multò maiores illic quàm in ipſo ſupremo Senatu exigi,

ſæpenumero conqueruntur. Poſtremò omnis à maioribus Reip. gubernandæ bene conſtituta ratio & diſciplina tollatur, omniáq; infima ſummis paria fiant, turbentur, miſceantur, & ad antiquum illum agreſtem & inciuilem hominum vitæ cultum reducamur. Quo quid miſerius ac ſtultius? quid tam inſolens, peruerſum, præpoſterúmve fingi, dici aut cogitari poteſt? vt Remp. quam nunc bonis inſtitutis & legibus temperatam tenemus, nullam iam habere incipiamus? Memoria teneo, Iudices, Platonis fuiſſe dictum, beatas tum fore ciuitates, quãdo aut Philoſophi eis imperabunt, aut, qui eis præerũt, philoſophabũtur. Quod vt grauiter ſapientérque ab eo dictum fuiſſe exiſtimandum eſt, ita magnas fortè pariet incommoditates & perturbationes, ſi id ad ſtrictam ſubtilémque Phi *Platonis dictum.*

losophorum rationem referendum esse putauerimus. Aliter enim leges, vt disertè quidem ille ait, aliter Philosophi de hominum negotiis, vita, & moribus disputant. Leges, quatenus res manu tenere possumus: Philosophi, quatenus ratione & intelligentia. Quæ sententia quam vim habeat, vt intelligamus, horum disciplinæ iurique naturali illud consentaneum est (quod & iuris nostri authorum libris passim continetur) neminem locupletiorem fieri debere cum iactura & incōmodo alieno, &, quod iam semel nostrum factũ est, ad aliũ sine nostro facto transferri nō posse. A quibus tamen regulis prudentum interpretatione, legéque Ciuili quodammodò recessum esse videtur societatis humanæ conseruandę causa. Factum est enim incertitudinis dominiorum vitandæ, litiúmque finiédarum

Discrimen legũ à Philosophis.

Nemo locupletari debet cum iactura alterius.

Quod nostrũ est sine facto nostro ad alium transferri non potest.

darum gratia, vt qui legitimo tempore rem alienam bona fide poſſederit, eam aduerſus ignauum, quamlibet verum dominum, vſucapiat, eiúsque verus dominus eſſe intelligitur. Quò etiam pertinent ea quæ de libertate naturali & ſeruitutibus à noſtris copioſè tractantur. Vnde & ex multis aliis prudentum diſputationibus intelligi debet, hanc à diis conſtitutam hominum conſecrationem & communitatem regi retineríque vix poſſe, ſi eam ad Philoſophorum præcepta rectámque intelligentiam reuocare voluerimus. Quæ enim maior in Rep. perturbatio fuerit dominiorũ incertitudine? Qua ex re vberius litiũ ac inter ipſos homines diſſenſionum prodibit ſeminarium? Quæ non multò maior commoditas ex dominorũ imperio & ſeruorum obſequio proficiſcitur, quàm ex vaga illa & otioſa liber

Dominiorũ incertitudo magna in Repub. perturbatio.

libertate naturali? Ideóque vt ius tradat, vt idem ille inquit, vtilitatem necessitatémque flagitare vsu compertum est, & vt eorum Philosophorum acutas subtilésque rationes quandoque vel negligamus, vel ciuili interpretatione ad hominum captum vsúmque accommodemus. Vt eũ nulla lex, nullum senatusconsultum, nullum magistratus edictum, non infirmari aut conuelli non potest, si ad subtilitatẽ æquitatem deflectere velimus, consilium autem eorum qui scripserunt, & rationem & authoritatem relinquamus, ita nulla nõ vincula non reuellentur, non modò iudiciorum, sed etiam vtilitatis vitæque communis, si ad callidas versutásque istas subtilitates politicam disciplinam deflectẽdam putemus, quid autem ipsorum hominum vsus ferat negligamus. Multa siquidẽ sunt quæ ad

Aequitas deflectenda non est ad subtilitatẽ.

ad rationem ciuitatis & communem opinionem ſi dirigas & accomodes, recta ſunt, ſin perpendere ad diſcipli nę præcepta & in diſputatione limare velis, reperiantur prauiſsima. Viuitur enim non cum perfectis hominibus planéque ſapientibus ac intelligentibus, ſed cum eis in quibus præclarè agitur ſi ſint ſimulachra virtutis rectæque intelligentiæ. Sed ne nimiũ longius abeamus, hoc iſtis noſtris Philoſophis, id eſt, huius belliſsimi edicti concinnatoribus demus, naturali æquitati conuenire, ne homines litium ſumptibus & itinerum lõginquitate vexentur, quibuslibet tenuiſſimis in oppidis, vicis atque adeò familiis magiſtratus, antiſtites, duces creandos eſſe ac conſtituendos, quis tam hebes rerúmque ignarus, vt non ſentiat hanc communionem ſocietatémque ciuilẽ, quæ in primis religio-

Societas ciuilis neceſſariò conſeruãda in Repub.

ſè colenda eſt & conſeruanda, ex eo planè labefactari atque ſubuerti? florentem diuinitúſque hominibus concessum Reip. ſtatum philoſophicis iis rationibus & conſiliis nullum conſtitui? Deus bone, quid ad hanc dementiam addi poteſt? quid hoc enim eſt aliud quàm tollere è vita vitæ ſocietatem? Omittamus igitur hãc doctorum hominum in legibus ferẽdis inutilem peruerſámque ſapiẽtiã. Nam vt graue moleſtúmque videri queat, aduocatorum priuilegiis Lutetiã Pariſiorum quenquam euocari, iuriſdictione ſua ſubtrahi, expenſis vexari, grauius multò certè erit minúſque ferendum, hoc omnis iuſtitiæ & æquitatis aſylum eorum patrocinio orbari, ſumma vtilitate & maximo ſæpe præſidio in periculis carendum eſſe, hanc totius regni quaſi iudiciariam ſcholam deſertam vacuámque reddi,

Totius regni iudiciaria quaſi ſchola deſerta redditur.

di, minúsque incommoditatis & detrimēti in ipſa itinerum ſumptuúmque vexatione rem iſtam totam propius conſyderantibus ac perpendentibus videbitur eſſe, quàm vtilitatis in iſtorum commentitia fallacíque cōmoditate. Neminem autem eſſe puto, iudices, qui ignoret, id ferè vſu venire, vt quemadmodum ij qui egregiis memorabilibúsque ornātur virtutibus, iidem multis magníſque cumulātur vitiis: ita vix ſit, vt magnam inter homines reperias commoditatem, quam non ſtatim è veſtigio conſequatur quædam incōmoditas. An non ſolis, aquæ, aëris, terræ ſua quædam ſunt incommoda, quæ tamen perpeti multò melius eſt, quàm eorũ vſu & commoditate omnino priuari? Ecquis, quæſo, diteſcit niſi cum aliquo aliorum incōmodo, quantumuis rem bonis & honeſtis rationibus au-

Omnē commoditatem ſequitur incōmoditas.

geat? Senatus verò ipse quî suũ splendorem & autoritatem tueri retinerég̃ue poterit, nisi cum aliqua litigantium itinerum sumptuúmque vexatione, in qua quiddã inesse mali quis negat? Sed bonũ quod est quæsitum in ea sine isto malo non haberemus. Quare si tribunitiam potestatẽ principes Romani, quamuis pestiferam in seditione, & ad seditionem natam nimiámque tolerabant, quòd vim populi multò vehementiorem, multóq; sæuiorem quæ ducem quòd haberet, interdũ lenior esset, quàm si nullum haberet, reformidabant: quis non leuem illam itinerum sumptuúmque incommoditatem ferendam potius existimabit, quàm istam iudiciorum euersionem, vitæque ciuilis perturbationem? hoc loco memini, clarissime Abote, ad cuius fidem opémque totus hic noster ordo cõfugit, quémque causæ

Tribunitia potestas ad seditionem natam.

causæ nostræ propugnatorem elegimus, qui preces nostras & desyderia ipsi curiæ, in qua triginta ab hinc annis magna cũ nominis existimatione & splendore cõsiliarij munus obisti, explicares & probares, memini, inquam, me aliquando de te inter deambulandum cum ornatissimo viro Ioanne Texæo inquisitoriarum classium præside, audiuisse id, quod Metellus ille Romanus de vxorum vsu necessario malo in concione dixit, non inscitè ad hanc itinerũ & sumptuũ vexationem, de qua tum etiam grauis quorũdam erat querimonia, accommodari posse, vt nõ solùm necessarium malum, quo tamẽ vos quidem exemptos omnes esse cupiebatis, sed etiam magnopere optandum bonum videretur, nempe vt hoc natura nimiùm litigiosum, & ad rixam concitum hominum genus à tribu-

Metelli dictũ de vxorũ vsu necessario malo.

Itinerũ sũptuumq; vexatio necessarium malum.

nalibus repelleretur: ídque hominibus magnopere expedire intelligi nõ ad æquitatis quidem conditionem, sed ad minima malorum eligenda. Qua de causa quod isti litigantium sumptus huic suo populari edicto prætexunt, id nõ modò priuilegij nostri infirmandi iustam rationem non habet, imò eius instituendi iustã causam, etiam si nulla alia subesset, suppeditaret, si Catonis sententiam recipiendam putauerimus, qui iudicum tribunalia muricibus esse sternenda dicebat, ne temerè ad litigãdum homines accederent. Quòd si verò tandem hoc aduocatorum priuilegium iccirco vel vlla quidem ex parte diminuendum aut adimendum esset, quòd aliquid incommodi & iniuriæ habere videatur, cui perspicuum non est, id quoque consequi, nõ certarum personarum solummodò, sed etiam omnium

Iudicũ tribunalia muricibus sternenda.

omnium aliorum ordinũ, collegiorum, generum, & rerum priuilegia, immunitates ac prærogatiuas nō tantùm ad incertum reuocandas, ſed infringendas, planéque tollendas eſſe. Quid enim aliud exiſtimare debemus priuilegium dici, niſi quandam æquabilis communíſque iuris priuationem & exceptionem certis quibuſdam perſonis, rebus, collegiis, aut prouinciis virtutis aut vtilitatis ergò conceſſam? Iam igitur fiſcus priuatorum iure vtetur, magiſtratus ſuis inſignibus, ornamẽtis, ac dignitate ſpoliabuntur, militis nullum erit teſtamentum, niſi paganico more & ſolẽnitatibus adhibitis fuerit cōfectum: annona ipſa nullis fulcietur priuilegiis, ipſi denique virtuti nullum erit propoſitum præmium. Qua iuris æquabilitate quæ maior iniquitas in Rep. inueniri poteſt? quid exitioſum

Priuilegij definitio.

Abſurda.

magis?quæ nocentior ingratitudo?vt ſegnes & ignaui cum ſtrenuis & fortibus,improbi & ſcelerati cum optimis & ſumma virtute præditis ciuibus pari iure cenſeantut eſſe?quid porrò iniquius quàm de optimo, de iuſtiſſimo,de honeſtiſſimo genere hominum,id eſt,de aduocatis ea iura cõſtituere,quæ omnia aliorum ſubuertant?(Quanquam vt ſacratæ leges & duodecim Tabulæ priuilegia irrogari,hoc eſt, leges in priuos ſeu ſingulos ferri vetabant,quòd id malo more malóque exẽplo fieret,ita hoc principum noſtrorum animis infixum & quaſi inſculptum eſſe vehementer optandum eſt,præmia virtutis & officij ſancta & caſta eſſe oportere,neq; ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus perulgari,ſed dignis tantùm & bene de Rep.meritis concedi debere,quòd ſi nimiũ

Priuilegia à legibus 12.Tabularũ vetita ferri in priuos.

nimium peruagẽtur, id eſt, paſſim ſinéque delectu permittantur, verendũ ſit, ne eorum ingenia, qui ea iam pręditi ſunt, corrumpantur, & qui eam nondum aſſecuti ſunt, inſolentiores euadant, eiúſque præmio peruulgato ſtudiũ negligãt.) Non dico quàm id abſurdum ſit & indignum, aduocatos coram iis iudicibus lites ſuas perſequi, quorum ipſi controuerſias ſæpenumerò primo certamine & ex tempore decernunt ac dirimunt. Illud autem quęro qua vanitate, qua fide, quáque religione de prouincialiũ iudicum controuerſiis decernent, in eóſq; ſcribẽt aut conſultabunt, quos intelligent litium ſuarũ, quas in prouinciis habituri ſunt, diſceptatores ſimiliter & iudices fore? Qua porrò grauitate, quo ſtudio, quáque contentione in eos, à quibus erit prouocatũ, in hoc cõuentu dicent, vt eorum ſen-

Non facile contra iudices propriæ cauſæ conſultandũ.

tentiæ contra ius morémque maiorũ latæ reſcindantur? Nemo eſt, meo iudicio, ex hac corona quin videat, nullo non ferè conſeſſu de quorundam eorum iudicum (ex quo potiſſimùm tempore præſidialium magiſtratuũ poteſtas conſtituta auctáque eſt) inſcitia, imbecillitate, ſordibus, & iniuſtitia apud vos queri, eorum fraudes & ignorationem aduocatorum ope ac diligentia detegi, eorũ denique iudicia ab inimicitiis, largitione, iuríſque ignoratione profecta vobis iudicibus irrita conſtitui ac declarari. Quorum emẽdatio & coërcitio quæ ſperabitur, ſi aduocati ſeuerius agere, eóſque dicendo perſtringere non audebunt? Prætereo quoque, neminem inueniri poſſe, qui in ſicarium, prædonem, graſſatorem, effractorem, vel alium quẽuis potentiorem hominẽ dicere, patrociniúmque præſtare audeat,

Pericula ex inimico edicto naſcentia.

deat,cum intelliget ſibi,alieno forte tempore ac difficillimis itineribus,litium ſuarum gratia Aureliã, Lugdunum,aut aliam in vrbem vel prouinciam eſſe proficiſcẽdum:cum etiam nuper in hac vrbe,luce proculdubio atque arce regni, doctum quendam ac optimum noſtri ordinis virum,ob ſuſceptam à ſe & grauiter actam amici cauſam,miſerè indignéque glande traiectum,ac de medio ſublatum eſſe,vos audiuiſſe ac meminiſſe non dubitem.Nec quẽquam mouere debet,iudices,quod à nonnullis dici audio, per procuratorem aduocatis licere lites ſuas perſequi:itaque earum gratia neceſſe non eſſe vrbe excedere,aduocationíſque munus deſerere. Nam ſi de vniuerſis bonis,vel maiore parte eorum agetur,qui non poſthabitis omnibus aliis rebus & negotiis,omníque viarum & itinerum difficul

Quidã ob defenſam amici cauſam glande traiectus.

Confutatio obiectionis.

ficultate neglecta mallent præsentes causæ suę adesse, quàm eius iustitiam iis procuratoribus committere, quorum non tam quidem fidem suspectã habebunt, quàm vsus forensis & iudiciorum ignorationem reformidabunt? Quãtò verò magis ad eam causam instruendam sibi proficiscendũ esse putabũt, in qua de ea tantùm parte bonorum agetur, quæ edictũ præsidiale nõ excedet, quòd de præsidialium iudicum iniquitate appellationis vtilissimo remedio sublato conqueri non poterunt? Sed & villarum suarum direptiones, amicorum, affinium, aut parẽtum oppressiones quî ferre poterunt? an non deserto hoc vrbanæ militiæ genere, pleno potissimum solicitudinis ac stomachi, cõfestim ad ea maleficia vindicanda proficisci properabunt? Dicam profectò, iudices, id quod mihi ipsi nuper

per accidit. Cum Petri Puluæi patris mei maiores superioribus seculis Anglicis annis vel occubuissent, vel ita deiecti debilitatíque essent, vt vix dũ ipse emergere afflictámque & bellorum calamitatibus prostratam gentilitatem excitare erigeréque potuisset, ecce hoc etiam ei summa in senectute fatale fuit, vt in Fossario suo à nocturnis effractoribus & grassatoribus multa supellectile spoliatus, maléque ac duriter acceptus, in vestiarias arcas omni cum familia propemodum exanimatus concluderetur. Quas iniurias etsi omnium ordinũ totius prouinciæ homines, vlcisci conarentur, mihi tamen & amici suauissimi, id est, Musæ, quas vita mea chariores habeo, relinquendę, & forensis industriæ cura deserenda fuit, vt me illis vrbe quoque tandem relicta cõiungerem. Qua in profectione & negotio *Itinerum pericula.*

gotio etsi frequens vndique & amicorum & clientum multitudo salutandi conseruandíque mei gratia cõsequeretur, tacitas tamen & occultas consceleratorum insidias, antequam eorum alios in furcas, alios in rotas figendos curassem, vix ego vitassem, nisi interdum per deuia loca, interdũ etiam noctu quò vellẽ perrexissem. Sed faciãt eam aduocatorum esse fidem & integritatem (quæ sanè optimo cuique in omni genere causarum satis perspecta est) vt neque spe, neq; metu corrumpi aut inflecti possint, è contrario iudices ipsi quas in causarum patronos, si fortè eorum dubia, suspecta, vel etiam mala fuerit causa, sententias ferent: quorum non dico iudicia, de quibus modò locuti sumus, sed dicendi vim & acumen in eorum iuris ignoratione publico in concilio detegenda, grauitatẽ & con

stan

ſtantiam in eorum ſententiis diſcutiendis & confutandis exhorreſcunt? qui ſi ad gratiam, largitionem, potentiam ſententias ſuas deflectunt, quãtò magis ab iis gratiam inire volent, à quibus intelligunt eas ad iuris Ciuilis & ęquitatis rationem exquiri ſolere? Quamobrem ſi cùm C. Verres Siciliæ prætor ſtatuiſſet, vt arator Decumano, quò vellet Decumanus, vadimoniũ promitteret, iure à M. Tullio reprehenſus accuſatúsq; eſt, quòd non ſolùm contra legem Hieronicã, nec ſolùm contra conſuetudinem ſuperiorum prætorum feciſſet, ſed etiã contra omnia iura Siculorũ, quæ habebant à Senatu populóque Romano, ne extra ſuum forum vadimoniũ promittere cogerentur, ne vtiq; arationis intermiſſio fieret: quo odio ac ſupplicio digni iudicandi ſunt, qui contra iura quæ à maioribus habemus,

C. Verris Siciliæ prætoris ſtatutum.

Siculi extra ſuũ forum vadimoniũ promittere nõ coguntur.

mus,

mus, id ſtatuunt, vt extra forum hoc, magno ſæpenumerò vitæ cum diſcrimine, litigandum nobis ſit, eóque tãdem modo aduocationis munus deſeratur? Neque verò hac publici commodi æquitatíſque ſimulatione ac prætextu contenti ſunt huius tã prçclaræ cõſtitutionis authores, ſed etiã ij eius fundamentis poſitis optimum ſanctiſſimúmque ordinem patronorum notarunt, vt omnem ei famam & exiſtimationem cum commodis eriperent, vt nihil grauius atque crudelius reſeruarent quod in eum conſtituerent. Nam quid homini poteſt turpius, quid verò miſerius aut acerbius vſu venire? pecuniam ſi cui fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria, tamen dum exiſtimatio eſt integra, facilè conſolatur honeſtas egeſtatem. Hoc qui ſecum cogitant prudentes optimíque viri hominum

Honeſtas egeſtatis cõſolatio.

exiſti

existimationis ac communis humanitatis causa, id dedecus rarò accidere volunt, sed timidè ac pedetentim isthuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inuiti, multis cautionibus ac medicinis prius adhibitis. Consyderant enim tum quid & quantũ sit alterius famam & existimationem lædere, tum etiam quã legem sibi ipsis indicunt innocentiæ, cõtinentiæ, virtutúmque omnium qui ab aliis vitæ rationem reposcunt, hócque sibi cõmuni vtilitate cõmoti sumunt, vt corrigant mores aliorum, ac peccata reprehendant. Itaque si hi nostri Nomothetę, officij, sanctimoniæ, diligẽtiæ atque existimationis rationẽ ducendam existimassent, non statim ad infamiæ notas concurrissent, sed hæc secum locuti essent, Honestus est ordo, & de Rep. bene meritus, quid agimus? Si mehercule hæc secũ duo ver-

ba fecißent, quid agimus, reſpiraſſet cupiditas atque inuidia paululum, aliquid loci rationi & conſilio datum eſſet, ſeipſos collegiſſent, Senatui fraudem atque abuſum, ſi quē deprehendiſſent, enuntiaſſent, delinquentem coercendum curaſſent, neque eò ventum eſſet, vt eloquentiſsimus ac probatiſſimus ordo aliqua infamiæ labe aſpergeretur. Dici enim vix poteſt, quàm multa ſint quæ antè fieri oporteat, quàm ad hanc rationem extremam & iniquiſſimam deueniatur. notare enim ordinē ne iure quidem quiſquam bonus vult. Mauult enim commemorare ſe, cùm poſſit ignominia afficere, pepercitſe, quàm cū parcere potuerit, notaſſe. Et ſi res iſta grauiſſima ſua ſponte viſa eſſet, tamen eius atrocitas ſtudiorum vtilitatiſque publicæ nomine leuanda erat. Quantò igitur magis eorū dignitati & honori

nori consulendum parcendúmque erat, quorum prudentiam omnes homines in cauendo nõ in decipiendo perspexerunt (qui quæ proficiscuntur à legibus & à iure Ciuili, nunquam à facilitate æquitatéque seiunxerunt? qui non verbis cõtrouersias, sed æquitate tuentur, iuráque nõ literis sed vtilitate cõmuni exprimunt? qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam cõsulentibus prõptam expositámque præbuerunt? qui ita iusti & boni viri sunt, vt natura nõ disciplina, nec magis iuris quàm iustitiæ cõsulti esse videntur, ita periti ac prudẽtes, vt ex iure Ciuili non sciẽtia solùm quædam, verumetiam bonitas nata videatur? Quas virtutes & industriam cùm hi nostri correctores scienter prætermittant, quis non calumniandi nocendíque animo eos adductos esse credat? Etenim est iniquissima in omni *Iniquissima malorũ*

enumeratio prætermissis bonis re accusanda prætermissis bonis malorum enumeratio vitiorúmque selectio. Nam isto quidem modo vel imperia vituperabilia sunt, si imperatorũ peccata collegeris. At priuilegio fraus facta est. quî sciunt? id enim eos planum facere, fraudísque causas explicare ac detegere oportet. Quid ergo afferunt, quare id factum putetis? verè nihil possunt dicere, fingant aliquid saltem cõmodè, vt ne planè videantur facere, quod apertè faciunt, nostris priuilegiis vestræque authoritati illudere. fraus facta est. Quæ? nesciunt. Cui? nihilo magis. Quid est aliud, iudicio ac legibus ac maiestate sacratioris concilij abuti ad quęstum atque ad libidinem, nisi hoc modo id cõminisci & obiicere, quod planum facere non modò nõ possunt, verùm ne conẽtur quidem? Quid est minus non dico accusatoris, sed hominis, quàm

quàm id obiicere, quod si verbo negatum fuerit, longius progredi non possit qui obiecerit? Quòd si aut causa fraudis, iudices, aut facti suspicio, aut quælibet vel minima res reperietur, quamobrem illi nonnihil tamen in sugillando nostro ordine secuti, postremò si præter eam prædæ lucríque spem, quam dixi, quicquā aliud causæ inueneritis, nō recusamus quin pro illorū libidine de nobis nostrísq; priuilegiis statuatur: sin aliud agitur nihil, nisi vt de Senatus authoritate detrahatur, si hoc solùm hoc tempore pugnatur, vt ad illam opimā præclarámque prædam, qua cōtenti esse debebant, hæc nostri ordinis macula velut cumulus accedat, quid aliud faciendum putatis, nisi vel vt Locrēsium morē reuocetis (id quod Resp. à vobis quasi quotidiano conuicio efflagitat) eósque, qui hanc reliquásq; *Locrensiū mos reuocādus.*

eiuſmodi vberrimas & quæſtuoſiſſimas deinceps ferri leges cupient, ſi eas Reip. vtiles eſſe non perſuaſerint, tanquam publicæ tranquillitatis hoſtes ſeueriſſimè coerceatis, vel ſi faciliores haberi vultis, quid leuius in eos ſtatuere poteſtis, quàm vt manifeſtæ calumniæ eos condemnetis? Verùm concedamus illis vt ea pretereãt, quę cùm tacent, nulla eſſe concedũt. Illud quæramus, à quo fraus facta eſt? à proclamatore quodam fortè & rabula forenſi audio, nunc dicũt aliquid quod ad rem pertinet, niſi iſta cauſa tota per ſummam fraudem & malitiam ab illis ficta eſt. Ergo in ſanctiſsimum ordinem aduocatorum, qui nihil commiſerunt, omnia tela coniecta ſunt, quæ parata ſunt in eos qui permulta malè agendi cauſa fraudandíque fuerunt. Hoc igitur loco petũt à vobis, iudices, vt quemadmodum

Qui tacet, consentire videtur.

dum ignis in áquam coniectus conti nuò restinguitur ac refrigeratur, sic referuens falsum hoc crimen in purissimum castissimúmque ordinem collatum vobis iudicibus statim cõcidat & extinguatur, & ne qua inuidia communis, ne aliena peccata, ne temporum vitia noceant, nec quæ in vitia, in mores erigi debent, ea in ornatissimum & innocentissimum ordinem emittantur, cùm non suo crimine, sed quorundam vitio sint in quoddam odium iniustum vocati. Sed esto, versentur nõnulli ex his in quadam vel fraude, vel auaritia, vel perfidia, an propterea statim ordo ipse suis priuilegiis spoliandus erit? an omnia ei commoda & ornamenta eripienda erunt? Equidem si hac seueritate vsi essent maiores nostri, vt alicuius rei abusu comperto eam cõfestim peremissent, iandiu nobis mu-

Propter abusum ali cuius rei o- mnino eadem res nõ est abolenda.

lieribus fuiſſet carendum,iandiu vites nullas haberemus,ac ne vix quidem magiſtratus ipſi ſua inſignia,leges ſuam vim & authoritatem , epiſcopi ſuas infulas retinuiſſent. Quid enim tam ſanctum,quo non tandem aliquando peruerſè abutantur homines? quid tam bene cõſtitutum,quod non abuſu deprauetur & corrumpatur? Quæ lex quæ neque inflecti gratia,neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia poſsit? Et tamẽ vites quotidie propagamus, mulieres amplectimur, magiſtratus creamus, leges tuemur,epiſcopos colimus,nec tam eius quod malè fit,quàm quod fieri debere intelligimus,rationẽ habendam putamus,eam hominũ eſſe conditionem reputantes,vt labi,falli,decipi,errare, quamuis id eos minime deceat,poſsint. Quod vtinam noſtris inſtigatoribus veniſſet in mẽtem,

tem,& ex noſtrorum ſcriptis didiciſſent,ipſa collegia aut ordines delinquere non intelligi,nec notari debere,niſi omnium ex eo ordine aut maioris partis eorum coitione facta, & cõſilio habito quid commiſſum eſſe manifeſtum erit. Quare ſi qui priuatim ex eo ordine deliquerint,in eos ſolos animaduerti ſolet: quinimò ſi ab ipſo collegio aut vniuerſo ordine peccatum eſſe dicetur,non ſingulos eius collegij aut ordinis, ſed eos tantùm qui peccandi authores extitere,quíque inter eos magis conſpicui habẽtur,coerceri identidem comprobatũ eſt,vt metus quidem ad omnes, pœna verò ad paucos perueniat,vniuſq; improbi ſupplicio multorum improbitas coerceatur.Sed longè alia mens fuit & conſilium horũm noſtrorum architectorum, (vt videlicet in hoc artificio callidiores, eruditiores,pru-

Quãdo collegia deliquiſſe intelligantur.

dentiores,abundantiores cõſilio,ingenio,ſapientia viderentur)in aduocatorum delictis & fraudibus coercendis ac compeſcendis. Exiſtimauerunt enim illi leges ſuas aranearũ telis,vt à quodã dicebatur,ſimiles eſſe debere,vt hi quorum authoritas nõdum ſatis confirmata videretur,priuilegiis ornamentísque ſuis exuerẽtur, & in edicti laqueos inciderent:hi verò quorum iam confirmata eſſet exiſtimatio & dignitas, ab ipſius legis pœna eximerentur. Itaque poſtremis edicti ſui verbis duodecim (quod quàm abſurdè,dici non poteſt)exceperunt qui primos gradus aduocationis tenebunt. Quos ego excipi & propter eorum dignitatem, & propter æquitatem, iudices, ſæpe vehementer gaudeo. Sed hac exceptione non tã hi afficiuntur beneficio,quàm priuantur iniuria,nec tã honoris cauſa exi

Leges aranearum telis ſimiles.

Excepti ab edicto.

ſa eximuntur, quàm vt ſpecioſa illa exceptione tententur leuiter quo animo ſuorum priuilegiorum diminutionem ferre poſsint, & vt quod ratione non poterant, obtinerent eorũ diſsimulatione & patientia, ex ſuo ſcilicet ingenio illos fingentes ſimiles fore Glauciæ illius hominis impuri, ſed tamen acuti, qui populum Romanum monere ſolebat, vt cùm lex aliqua recitaretur, primum verſum attenderet, ſi eſſet dictator, conſul, prætor, magiſter equitum, ne laboraret, ſciret nihil ad ſe pertinere: ſin autem quicunque poſt hanc legem videret, ne qua noua quæſtione alligaretur. At hi eorum vultus quos cernitis, Patres, quamuis ſe ab huius legis iniquitate exceptos liberóſq; videāt, quaſi tacito quodam mentis ſermone indicant iucundum ſuauémque ſibi priuilegiorum fructum eſſe non poſſe,

Glaucias homo impurus.

Eiuſdẽ conſilium.

Confutatio exceptionis edicti.

posse, si reliquos collegas suos eorum viderint expertes fieri, eósque auocari à iudiciis, à curia. Et quia non est astantibus omnibus necesse dicere, à me certè (qui tamen neque ætate, neque ingenio, neque authoritate sum cum eis comparandus) dici volunt.

Amplificatio à dolore.

Dolent, inquam, ac vehementer anguntur, iudices, cùm videant se in eadem causa, in qua nos, fuisse, nos non in eadem esse fortuna. Atq; vt è portu soluentibus ij qui iam in portum ex alto inuehũtur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum & locorum, quòd natura affert vt eis faueamus qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sum⁹, ingrediũtur: ita illi prope iam ex magna iactatione terram videntes, ostẽdunt se beneuolentissimo in nos esse animo, quibus vident maximas tempestates esse subeundas. Et vt optimis

ciui

ciuibus quoduis exilium patria ſuauius eſſe ſolet, afflicto atque euerſo Reip. ſtatu, ſic illi ſe ibi cum dignitate eſſe debere non putant, vbi nos nō poſſemus. Proſpiciunt enim hoc incommodum confirmatum multorū infirmare dignitatem, & ſi initiò non erit refutatum impune tandem ad omnium perniciem conualeſcere. In quibus, ſi ex ipſorum domeſtico incommodo nullus dolor inſideret: tamen eſſet illa cogitatio in alterius iniuria ſeſe deſpectos, dignitatémque ordinis contemptam & abiectam, quod mehercule, iudices, illis nō mediocriter ferendum videtur. Habet enim quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficilimè poſſunt. Itaque vt eſt eorū eximia virtus & integritas, abuti patientia ſua non ſinunt, imò contume lia legis commouentur, conſpirant Cōtumelia aculeus.

nobi

nobiſcum, communem libertatem communi ſtudio atque amore defendunt, nec dubitant hanc defenſionē cum communi defenſione cōiungere illis obtrectatoribus & delatoribus tanquam pro ſe quiſque eorū occurrentes. Quorum omnium in hac cauſa ſolicitudinem, curam, & attentionem licet ignorare minimè poſſitis, vt neceſſe non videatur iuriſperitiſſimi Caroli Molinæi, Annæ Terrerij, Franc. Portani, aliorúmque conſultiſſimorum & diſertiſſimorum patronorum ſtudia & voluntates pro hac priuilegiorum libertate contra huius edicti iniquitatem defendēda ſingillatim commemorare: tamen à me in dicendo prætereūda non eſt Aegidij Bourdini procuratoris fiſci, B. Dumenillis, R. Boucheraidi eiuſdem fiſci patronorum animi magnitudo, quā ad hanc cauſam afferunt, ne vetus cō ſue

Hæc priui legiorum libertas contra huius edicti iniquitatem à plurimis defenſa.

ſuetudo fori & priſtinus mos iudiciorum tollatur, ne caſum & orbitatem Senatus videant. Quibus omnibus iccircò præcipuam laudem gratiámque debemus, quòd oſtenderint aliquid nobis in eorum fide, officio, & diligentia præſidij eſſe oportere. Sed ad edicti noſtri æquitate redeo. Si hoc ad authoritatem & amplitudinem Senatus maximè pertinere viſum eſt maioribus, ne certus & definitus aduocatorum numerus conſtitueretur qui conſilij ſui copiā in cauſis orandis, in reſpondendo, cauēdo, ac ſcribendo facerent, quid eſt quāobrem eorum numerum definiemus, qui fori priuilegiis frui debebunt? Si omnibus his qui bonis literis quantulancunque operam nauant, idem priuilegium indultū eſt, vt initio docebamus, quidnā cauſæ dicturi ſunt, quominus idem omnibus cauſidicis

Aduocatorū numerus non eſt definiēdus.

con

concedatur? Si contra publicam vtilitatem id existimari debet, quî eius iniquitatem in quibusdam admittédam, in aliis verò improbandam diiudicabunt? Si nihil reperitur in aduocatorũ ordine perfidiosum, & insidiosum, & fallax in munere obeundo, quid est, cur alios iniuria afficiét, alios ea liberabunt? Quemadmodum ij qui Reip. præfuturi sunt, totum corpus ipsius Reip. si Platonis consilium probamus, curare debent, ne dum parti consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducant, seditionem atque discordiam: ita diligenter cauendum est, ne iisdẽ de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Et vt scalarum gradus si alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares: sic eiusdem ordinis & collegij si alios

Totũ Reipub. corpus curandum est.

ſi alios nulla iuſta de cauſa & occa-
ſione beneficio afficias, alios ornamẽ
tis ſpolies, nonnullos loco moueas,
iter ad virtutẽ intercipias, non aſcen-
ſum ad eam pares. Verùm ad ſuæ ex-
ceptionis confirmationém vel Leo- *Leonina constitutio*
ninæ conſtitutionis autoritate vten-
tur, qua ab eo conſtitutum eſt, vt ex
ampliſsima aduocatione Prætoria-
na, quæ centum quinquaginta toga-
tis concludebatur, ſexagintaquatuor
iiſdem imperialibus beneficiis per-
fruerentur, quibus fiſci patroni libe-
ríque eorum honorati ſunt: vel, quod
probabilius eſt, eo nitẽtur, quod Leo
iunior & Zeno conſtituerunt, vt ad
ſimilitudinem aduocatorum Præto-
rianæ præfecturæ quindecim ex vrbi
cario foro, qui primos gradus obtine
rent, iiſdem priuilegiis gauderẽt. Sed
ſi docuero, hoc diſsimillima ratione

Comparatio rationũ vtriusque partis.

fieri, magnúmque interuallum esse interiectum inter horum imperatorum consilia & inter istorum demen tiam,quò confugient, nisi vt vel sui quæstus causa omnes has iniquitates constituisse,vel ignorationem suam confiteantur & agnoscant? nunquid causabuntur quin ab hoc iudicio abeant turpissimè victi? Illi maioribus propositis præmiis ad dicendi,virtutísque studium inuitant, hi verò puniendam eam censent, illi beneficiis eos cumulant, qui diu aduocationis munus obierint,hi verò iter ad id diu præstandum suis rationibus & edictis intercipiunt: éstque illorum con silium tantò prȩclarius & laudabilius existimãdum,quantò proniores esse debemus ad bene merendum, quàm ad iniuriam inferẽdam. Quare si eos imperatores sibi ad imitandum proposue

poſuerunt, in viam vnde diuerterunt redeāt, & non duodecim tantùm iniuria liberent, ſed quingentos longè maioribus beneficiis ornandos curēt, reliquáque dignitatis ornamēta, quę Anaſtaſij, Iuſtini, aliorúmque imperatorum cōſtitutionibus fiſci patronis conceſſa ſunt, iis addant, & ad huius priuilegij commoditates, quæ in poſſeſſoriis, miſtis, & perſonalibus actionibus (non tamen infra decē Turonenſes libras) conſiſtunt, rei perſecutorias quoque adiiciant, eámque decem Turonenſium librarum exceptam ſummam ne detrahant, item vt eis iniuriam ſiue publicam ſiue priuatam apud eoſdem Requeſtarum Palatij iudices perſequi vlciſcíque liceat. Cæterùm pace conſtituta de eo verba faciant, ſi velint, apud eos qui clauum Reip. tenent, malè ſe rem ha

Sūma excepta decem Turonenſium librarum.

Quod virtute effici debet nõ est tentãdum pecunia.

bere, cùm quod virtute effici debet id tẽtatur pecunia, cùm insignia virtutis honorúmque vocabula multi sine virtute cõsequuntur, id est, cùm non homini sed liberis, non moribus sed maioribus, non virtuti perspectæ, sed ambitioni, largitioni, sordibus honores deferuntur, cùm Senatorij nominis fiunt nundinationes, cùm de grege nouitiorum creantur magistratus, cùm obrepunt ad honores commendatione fumosarum imaginũ ij, quorum nunquã audita vox in foro, nunquam periculum factum cõsilij. Addant etiam fauore reorum, si audẽt, petitiones bonorum denuò grauioribus propositis pœnis interdicẽdas, nec dissimulatione prætereant multa propter iniuriã temporum, & necessitate cogente introducta ac recepta, quæ in pristinum statum reponi tollíque

que debent. Poſtremò de collapſa vetere eccleſiaſtica diſciplina reuocanda apud eccleſiæ antiſtites piè, grauiter, conſtantérque agant. Sed & ipſos huius edicti inuentores monitos velim, magnum eſſe in Rep. campum, vt ſapienter dicere ſolebat Craſſus, multis apertum curſum ad laudem, multóq; præclarius & honeſtius eſſe ſua virtute in altiorem locum aſcendere, quàm per alterius incommodũ & calamitatem in eũ peruenire velle, alióſque accuſare, ex quibus creſcere poſsis. Id ſi vel præſtiterint, vel certè conati fuerint, eorúmq; opera & ſtudio perfectum erit, vt prædictæ à nobis priuilegiorum acceſſiones, quanquam ſexagintaquatuor tantummodò ex hac infinita multitudine aduocatorum concedantur, tum eorũ voluntatem & diligentiam in imperia-

Elegans Craßi dictum.

libus beneficiis incitandis vniuerſus hic noſter ordo laudibus proſequetur, tum eis ſe plurimum debere existimabit. Sed vt cætera ſe rectè habere ponamus, eóque iam ventum eſſe (id quod tamen ſcio vos pro veſtra ſapientia nunquam permiſſuros) vt tantummodò de quibuſdam excipiẽdis, ſeu verius iniuria priuandis, agendũ ſit, quid iniquius quàm duodecim ſolummodò excipere ex ſexcentis aduocatis, quorum qui vel ducenteſimum locum tenent, tãta fide, officio, diligentia in eo munere ſe fortaſſe gerunt, quanta qui primos illos gradus tenebunt? Eorum igitur ſentẽtiæ magis conſentaneum eſſet, vt ex huius ampliſſimi fori non centum quinquaginta (quem numerum eſſe diximus aduocatorum Prætorianæ præfecturæ) ſed octingẽtis & eò amplius aduo

Numerus aduocatorum Prætorianæ præfecturæ.

aduocatis, non modò duodecim, quod ridiculum eſt, aut ſexagintaquatuor,quod in tanta multitudine iniquum ſed quadringenti aut quingenti exciperentur. Sanè cùm multa ſint in hoc eorum commẽto indigna & reprehendẽda,tum nihil certè deridendum magis,minúſque ferendũ, quàm quòd tali exceptione ſe tenebras vobis offudiſſe,fucúmque feciſſe arbitrantur,per quorum ſententias & iuſiurandum id aſſequantur,quod ipſi criminationibus & calumniis aſſequi poſſe deſperarunt. Verùm hoc quod eſt aut ita peruerſum,aut ridiculum,aut ita malitioſum,aut ita integumẽtis inuolutum, vt obſcurum ſit,nec cernatur, relinquamus,nec tã copiam quæ in cauſa tali oblata nemini deeſſe poteſt,quàm modũ aliquem in dicendo, exitúmque,quod

difficilius est, quàm principium inuẽnire, quæramus. Satis enim hac de re mihi multa verba fecisse videor, ac vereor ne hæc ipsa nimiũ multa esse videantur, præsertim apud vos homines peritissimos. Dicta sit igitur à me causa & perorata. Etenim ea quæ sit iam videtis, quantum iudicium sustineatis, intelligitis, quanta res sit commissa vobis, perspicitis: nunc quid agendum sit consyderate, próque vestri ordinis dignitate atq; gloria, quæ vobis à maioribus cùm magna in rebus omnibus, tum summa in edictorum regiorum comprobatione tradita est, videte quem vobis animum suscipiendum putetis. Nam cùm multa diuinitus P. C. à principibus nostris inuenta atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quàm vt quemadmodum Ephori in Spartanorum reges,
ita

ita vos in id inquiratis, quod à Principe de communibus rebus decernẽdum est, vt contra periculosissimas hominum potentias conditioni omnium ciuium prouideatis, & vt si fortè ei obreptum erit, à vobis admonitus & persuasus, vel ab incœpto reuocetur, vel expeditiorem ac ciuibus suis vtiliorem aliam ineat rationem. Omitto quòd non in regni proceres modò, sed in se quoque ius à vobis dici patiatur, ne quid in sua causa committat, quod ab æquitatis rationísq; norma seiunctum sit aut abhorrens. Quid est igitur quod cuiusquam animum in hac causa dubiũ facere possit, quominus hoc inimicum atque infestum edictum contra Reip. vtilitatem intrepidè iudicãdum esse pronũtietis? cum præsertim Rex ipse omnis iuris & iustitiæ obseruãtissimus

eius probandi vel improbandi pote-
ſtatem vobis quaſi habenas tradat?
vóſque non ſolùm vt quieto,ſed etiã
vt bono animo magnóque ſitis hor-
tetur,nihil ſine cõſilio Senatus & au-
thoritate,nihil niſi eo approbante cõ
ſtituat?Quòd ſi vnquam de bonis &
fortibus viris,ſi vnquam de bene me-
ritis ciuibus poteſtas vobis iudican-
di fuit,hoc profectò tempore eã po-
teſtatem omnem vos habetis,vt ſta-
tuatis,vtrùm nos qui ſemper veſtræ
authoritati dediti fuimus, omnibus
ornamentis ſpoliemur,an diu vexati
ab inimicis aliquando per vos ac ve-
ſtram fidem ſapientiámque recree-
mur.Sic enim vobis P.C.dies illuxit,
hæc poteſtas data eſt,vt ſi vnquã ſtu-
dia veſtra erga nos,quantúmque vir-
tutis, conſtantiæ,grauitatis, ac fidei
in huius veſtri ordinis conſilio & au-
tho

thoritate ſperare deberemus,vultu & verbis ſignificaſtis,nunc re & ſenten tiis nobis omnibus declarare poſſe-tis. Quo ergo animo vos eſſe debetis in eorum potiſsimùm cauſa,quorum omne curriculum induſtriæ in foro, in curia,in amicorum cauſis agendis elaboratum eſt? quorũ humeris hoc iudiciorum onus magna ex parte ſu-ſtinetur?quos D.Marcus ſi eius impe rium ad hanc ætatem perueniſſet le-gibus ſuis conſecrandis adhibuiſſet? Quanto,inquam,ſtudio vos conue-nit hoc priuilegium vnà cum ordi-nis veſtri dignitate defendere ac cõ-firmare,eósque ab inimici edicti in-iuria liberare, & in ciuitate retinere, *Initijs obuiandum.* quos ſi hoc priuilegio ſpoliari permi ſeritis, mihi credite iudices, ſerpet hoc incommodum longius quàm pu tatis: nec enim ſolummodò coronæ

con

confessus vester cinctus nõ erit vt solet, nec vsitata frequentia stipati nõ eritis, sed etiã magnis laboribus fundatam curiam, magnáque virtute stabilitam dignitatem amplitudinémque vestram vnum hoc confirmatũ edictum planè tandem delebit, vna hæc eripiet hora. Id autem ne vnquã posthac non modò non cõtingat, sed ne cogitari quidem posit à quoquã, vos hodierno die prouidere potestis, vt nec solùm ad tempus incredibilẽ Reip. vtilitatem peperisse videamini, sed etiam ad exemplum. Quo quidem eo casu & orbitate senatus si animis non commouemini, at certè vos mouere debent hæ voces multorum quas audio, & quibus intersum quotidie, Valeat, inquiunt, valeat hic Senatus, sit florens, stet hic amplisimus ordo, nobísq; charisimus, quoquo modo

do meritus de nobis erit, quoniam in eo amplius nobis versari nõ licet (vetus est enim, Vbi nõ sis qui fueris, nõ esse cur velis viuere) nos vel in Tusculanum, vel in Cumanum, id est, in sedes nostras patrias reuertemur, & ad eas nos referem⁹ artes, (Quis enim hoc non dederit nobis, cùm his temporibus habeamus aliud nihil in quo acquiescamus, quòd casu nescio quo in ea tempora nostra ætas inciderit, vt cùm maximè florere nos oporteret, tum commẽtatio causarum abiicienda, omnésque fructus industriæ forensis perdendi sint?) quibus à primis temporibus ætatis studium nostrum dedimus, id est, omnem curam atque operam ad philosophiam conferemus, fructúsque doctrinæ percipiemus eos qui maximi sunt, vt ea consyderemus atque tractemus, quorum

Vbi non sis qui fueris, non esse cur velis viuere.

rum vſum & delectationem multi docti homines, fortaſſe non rectè, ſed tamen multi omnibus publicis & actis & voluptatibus anteponendam putauerunt: quæ etiam ſi minus proderunt, animum tamen à ſolitudine abducent, & contra omnes fortunæ

Epilogus. impetus armabunt. Conſeruate igitur, iudices, eos qui qua ſanctiſsimi homines pietate erga Deũ Opt. Max. eſſe ſolent, eadem erga vos ſemper fuere, quibúsque numen veſtrum graue & ſanctum in omni vita fuit. quos ſi vobis, ſi Reipublicæ, cõſeruatis, addictos, deditos, obſtrictos vobis ac liberis veſtris habebitis, omniúmque eorum neruorum ac laborum vos potiſſimùm, iudices, fructus vberes diuturnósque capietis. Sexcenti non vſu quidem forenſi atque exercitatione tirones cauſarum patroni, & qui adſunt

ſunt,& qui vbicunque ſunt,tam humanitati veſtræ,quàm ſuæ cauſæ fidentes,veſtram ſeueritatem deſyderant,veſtrum auxilium requirunt,omnia ſua iura,commoda,auxilia,totam deniq; libertatem in veſtris ſententiis verſari arbitrantur,vos orant atque obſecrant,vt multis iniuriis iactata atque agitata æquitas in hoc tãdem loco conſiſtere & cõfirmari poſſit.Vos,inquam,qui huic publico cõcilio præeſtis, quósque & debere & poſſe intelligunt opitulari,obteſtantur,ne quos anteà benignè fouiſtis & ornaſtis,eos nunc velut in perpetuum calamitoſúmque exilium abire permittatis,ne ſuis ornamentis ſpoliati atque nudati,non modò obiiciantur inuidiæ,ſed etiam fictæ dedantur ſuſpicioni,ne in eorum exilio & calamitate lætentur inimici,& tanquam

victo

victores ex inimicorum dolore iustissimum hunc agant triumphum, ne eos deteriore conditione esse sinatis, quàm sunt liberalium artium doctores, quíque his operam dant, quàm sunt milites, quàm sunt aulici corúq; serui, quàm sunt plerique alij, qui ea quæ homine ingenuo liberalitérque educato digna sunt, ne primoribus quidem labris vnquam attigerunt. En etiam viri primarij huiúsque professionis antistites, qui pari studio vestram fidem implorant ac petunt, ne iter ad virtutem hodierno die vobis iudicibus intercipiatur, ne honestissimis studiis deditos vobísque addictos contemnere videamini, ne hanc iuris & iustitiæ omniúmque magnarum rerum & artium cognitione cumulatam scholam vacuam ab his fieri patiamini, quorum summam

fidem,

ſidem,officium,diligentiam in omni genere cauſarum perſpectam habetis, ſed quem florentiſſimum Senatum à maioribus accepiſtis,pro dignitate & autoritate veſtra conſeruetis. Denique vt aut hoc vniuerſo ordini collegióque aduocatorũ priuilegium conſeruetis integrum,nósque omnes eo dignos eſſe cēſeatis,aut ſi ita vobis decretum eſt, vt ea,quæ à vobis magnopere prouidenda ſunt, negligatis, hoc idem eis eripi patiamini, & quę beneficia in eos cōtuliſtis, aut in noſtra ſalutę augeatis, aut in noſtro exitio occaſura eſſe iubeatis. Nõ enim fas eſſe ducunt verſari in hoc curriculo & theatro, nobis æmulis atque imitatoribus ſtudiorum ac laborum ſuorum quaſi quibuſdam ſociis, comitibus, glorioſíque laboris conſortibus à ſe diſtractis & amiſsis.

Quid vos iudices? quo tandem animo eritis? aut omnes confirmato priuilegio in ciuitate vobis retinendi ſunt, aut omnes, eo ſublato, exterminandi, quoduis exilium, quæuis calamitas his optatior eſt, quàm hæc ciuitas, quàm hoc theatrum vno aliquo ex ordine quaſi exulante, ſi piè, ſi cum dolore faciunt, moueant vos horum preces, moueat vos pietas.

FINIS.



IOANNES BRE-chæus Turonus Adriano Puluæo ſuo S.P.D.



Vam de Aduocatorum commodis & rationibus, déque ampliſsimæ illius Curiæ Pariſienſis dignitate, orationem ſcripſiſti, perlegi ſanè, mi Puluæe: perlegi, inquam, cùm libenter, tum verò magna cum voluptate. Cæterùm, quòd iudicium de ea re meũ poſtulas, nec ingenio quidem meo, quod ſentio quàm ſit exi-